



Specimen juris gentium inaugurale quo inquiritur an matrimonio ducis de Montpensier Pax Rheno-Trajectina violata dici possit?

<https://hdl.handle.net/1874/322805>

SPECIMEN JURIS GENTIUM INAUGURALE.

INSTITUTIONIS THEODORICI
ET MATTHEMONIO DUCIS DE MONTENAPPE
P.LX RHENO-TRAJECTINA
VOTATA DICI POSSIT

ANNENTE SUMMO NUMERO
ET APOGETATIS RECTORIS MAGISTRIS
PETRI JOHANNIS ISAACH DE BREMER

RECTORIS
ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE
P.LX RHENO-TRAJECTINA
P.LX RHENO-TRAJECTINA

QUE ROMANO AC RODERICO HONORIS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
RECTORIS
RECTORIS
CONSTANTINUS THEODORUS VAN LINDEN
Rheno-Trajectina

et in Rheno-Trajectina, anno MDCCCLXXXVIII, mens II

TRAJECTI AD RHENUM
P.LX RHENO-TRAJECTINA
P.LX RHENO-TRAJECTINA

SPECIMEN JURIS GENTIUM INAUGURALE

QUO INQUIRITUR

AN MATRIMONIO DUCIS DE MONTPENSIER
PAX RHENO-TRAJECTINA
VIOLATA DICI POSSIT?

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI JOHANNIS ISAÄCI DE FREMERIJ,

MATH. MAG. PHIL. NAT., MED. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO AC HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

CONSTANTIUS THEODORUS VAN LYNDEN,

Rheno-Trajectinus.

A. D. X. M. Octobris, anni MDCCCXLVIII, hora II.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD J. DE KRUIFF.

MDCCCXLVIII.

PATRI OPTIMO CARISSIMO,

NEC NON

AVO HONORATISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

OMNI, QUA DECET, PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

PRÆFATIO

Multa jam dicta sunt, multaque scripta de matrimonio
digni de Montpensier, vixit in consideranda
et multa, etiam tam salubri consilio, tum
pudorem per Hispaniam respicientibus, alii estantem
pudorem Europæ; alii pacem Hispano-Europæam,
alii Franciam; alii notam illam Francie Potestatem,
alii aliam. Omnes hæc considerationes perspicui, fere
deputant matrimonium hoc revere in consuetudinem
etiamque Hispaniam inditum esse, neque a legibus
impositis super regionis ablatum, velis unde Europam
restituere eo consilio, sed contra, quodammodo id
tunc ad præcedendum quatuor potentibus hæc aliis
in Hispaniam, Franciam, Angliamque pergentibus, vires
in omni partem etiam aliis prædictis in

PRAEFATIO.



Multa jam dicta sunt, multaue scripta de matrimonio ducis de Montpensier: variis id consideratum est modis, aliis tum salutem commodumque, tum publicum jus Hispaniae respicientibus; aliis externam politicam Europae; aliis pacem Rheno-Trajectinam, aliis Franciam; aliis notum illud *Familiae Pactum*, aliis aliud. Omnes has considerationes persequi, fuisse disputare matrimonium hoc revera in commodum utilitatemque Hispaniae initum esse, neque a lege Imperii hujus regionis abhorrerere, nullo modo Europae aequilibrium eo confringi, sed contra, aptissimum id esse ad prohibendum quominus potentiae lanx nimis in Russiam, Borussiam Austriamque propendat, viros ab omni partium studio alienos prudentissimosque id

considerare tamquam summum politicae exemplum, minime vero tamquam mixturam astutiae fraudisque quae tandem ipsi Franciae necessario perniciem afferre debeat, (1) multoque etiam minus hoc matrimonio pactum illud familiae restitutum esse, (2), haec omnia nos a proposito abducerent. Hacce disputatione breviter tantum considerabimus regni Francici atque Britannici hac in re agendi modum, atque necessitudinem quae ducis de Montpensier matrimonio cum pacis Rheno-Trajectinae violatae querela intercedit. Quibus consideratis non concludemus cum ingenioso Capefigue, statuente tale matrimonium in

(1) Nec quis contendat hoc revera ita fuisse, quod viri, qui Franciam in reipublicae formam mutare volebant, neque ulli rei ad hoc perficiendum pepercerant, non veriti sint summum Guizot coram ignoranti atque levi multitudine notare tamquam proditorem, quasi matrimonio ducis de Montpensier conjungendo, bellum inter Franciam Britanniamque commovere voluisset.

(2) Pactum illud quod dicitur „pacte de famille” et subscriptum Parisiis d. 15 m. Aug. anni 1761, initum inter Franciam et Hispaniam, quibus accedebant rex Neapolitanus atque Parmae dux et quod 28 artt. constat, constituit omnia esse tentanda ad coronas illarum civitatum genti Borbonicae servandas, auxilio invicem tam belli quam pacis temporibus promisso, ita ut harum unius hostis, omnium ceterarum hostis consideraretur. Vid. *Recueil manuel et pratique de Traités, Conventions et autres actes diplomatiques*, par le Bn. Ch. de Martens, et le Bn. Ferd. de Cussy. Tom. I, pag. 15.

hodiernis plurimarum Europae civitatum formis et hodierna Europae politica conditione neutiquam tam graves, quam olim habere posse consecutiones. (1) Non quidem prorsus negamus hanc notissimi scriptoris sententiam veram esse, neque diffitemur melius fortasse atque prudentius actum fuisse, si hoc matrimonium non tamquam aulae quaestio habitum fuisset a duobus regnis, quae ne per momentum quidem dubitaverant Isabellam II legitimam Hispaniae reginam agnoscere, sed ipsi concludemus, cum tamen hoc factum sit, Franciam summo suo jure egisse, neque quidquam fecisse quod communi gentium juri adversaretur. Ceterum consecutiones, quamquam fortasse non adeo graves atque olim, inde certe natae fuissent, quod eo magis affirmare audemus, quod idem aliis Principum matrimoniis obtinuit. Reputemus, exempli gratia, modo quam vehementer olim contradictum fuerit propositis nuptiis inter regem patriae nostrae, tunc Principem

(1) *Diplomatie de la France et de l'Espagne depuis l'avènement de la maison de Bourbon*, par Capéfigue. Bruxelles 1847, p. 8. 388. sqq. Vid. etiam Den Tex en Van Hall, *Nederl. Jaarb.*, IXe deel, pag. 527. *Bibliothèque universelle de Genève* 1847, Tom. III, pag. 591.

Arausiacum, atque Principis Walliae filiam, quae postea Leopoldo Coburgensi nupsit, quod merito intelligebatur tale matrimonium graves difficultates cum Hollandiae atque Britanniae parere posse, tum universe toti Europae. (1) Quantum eo tempore discrepabant Britannorum actiones ab illorum hodierna agendi ratione, in ducis de Montpensier matrimonio! Quum enim illae Principis Arausiaci nuptiae agitentur, dicebant se de ipso matrimonio decernere nolle, sed tantum curare velle, ut ne pacta constituta violarentur, neque se ullo modo aliorum regnorum legibus atque institutis immiscere velle. (2). At quanto magis illo futurae Britanniae reginae cum futuro Hollandiae rege matrimonio, superbia Britannica crevisset,

(1) *Der Zweite Pariser Frieden* von H. C. Freiherrn Von Gagern, Tom. I, pag. 41. Exemplum talium difficultatum dedit matrimonium Guilielmi III. Principis Arausiaci. Vid. Thorbecke, *Aanteekening op de grondwet*, 2 ed. adn. ad artt. 23 et 28.

(2) Is not this a Dutch question and might it not be left to the Dutch legislature to determine? All we are bound to provide is, that the two sovereignties shall not be in the same person; and we have no objection to stipulate that the first born son of the marriage shall not succeed to the sovereignty of Holland. *Lives of the Lord Chancellors and Keepers of the great seal of England*, bij John lord Campbell. Lond. 1847, vol. VII, pag. 313.

quam si hodie Ludovica Hispaniae Infans, Coburgi principi nupsisset!

Disputationem nobis propositam sine ullo partium studio aggressi sumus, atque quoad ejus fieri poterat, tractavimus. Qui enim praejudicatas opiniones habere possemus contra Guizot, magnum illum virum, qui contra Britannicae politicae moderatores? Verum enimvero in consideranda utriusque regni agendi ratione in matrimonio ducis de Montpensier, dolorem quandam comprimere non potuimus, scilicet Palmerstonum viam, quam decessor Aberdeen ingressus fuerat, non esse persecutum, sed plane ab ea aberrasse atque illum Palmerston, callidum certe politicum, non adeo excelluisse sinceritate et fide, (1) sed nimis fortasse patriae amore abreptum, viam instituisse quae temporariae magis utilitati, quam verae gloriae inserviret. Omnis amor

(1) Non egredimur hoc loco fines quaestionis nobis propositae; alioquin fortasse fidem atque sinceritatem Administri Palmerston multis etiam aliis rebus in dubium vocare possumus; ut taceamus de partibus quas sustinuit in controversiis Hollandiam inter et Belgium meridionale, reprehendenda quoque videtur ejus agendi ratio erga Daniam in hodierno inter hanc terram Germaniamque bello, de possessione ducatum Slesvici et Holsatiae: Slesvici sane tranquillam et perpetuam possessionem Britannia et Francia pacto anno 1720 inito, Daniae promiserunt.

sui e prudentia civili ut expellatur non petimus; quicumque enim tale quid desiderat, is nomine prudentis atque negotiorum publicorum periti haud dignus est; sed fines juris gentium egredi non licet, neque nimis est jus interveniendi extendendum. Decernere nolumus, utrum Palmerston revera putaverit matrimonium ducis de Montpensier violationem habendum esse pacis Rheno-Trajectinae, an vero hanc pacem unice obtenderit, ut huic matrimonio juris quadam specie obsistere posset. Hoc dijudicare neque possumus neque volumus; et praeterea hujus rei disquisitio inutilis prorsus esset, quippe quae nihil ad ipsam quaestionem faciat; capite II argumenta quibus haec querela nitebatur, data opera examinabimus eamque absurdam plane esse perspiciemus, animadvertendo Britanniam non satis *belli* atque *pacis* tempus a se invicem distinxisse, quatenus pax non componitur ut causis ob quas bellum susceptum est, plane satisfiat, sed tantum transactio est inter diversas partes belantes, unde sequitur, principia horum pactorum quaerenda esse in conditionibus quibus pax composita est.

Interim hoc loco quaestionem de matrimoniis Hispanicis non egrediemur, et hac in re laudes illustri Guizot impertiri debemus, qui postulationibus ar-

rogantiae plenis et clandestinis machinationibus a suo proposito se abduci passus non est, atque eo ostendit Franciam satis fuisse potentem ut ipsa libere quae vellet, ageret, ut commoda atque utilitates suas ipsa curaret, ut consilia sua assequeretur, quae minime, ut modo jam diximus, repugnabant communi juri gentium neque Europae aequilibrio.

Sperare non possum me juvenem, campum juris gentium nunc primum ingressum, opinionem meam unicuique probaturum esse, sed qualiscunque illa sit, illam cum aliis communicare volui. Et quamvis plane mihi persuasum sit meam hac de re sententiam unice veram esse, tamen hanc disputationem in lucem edo non sine magno timore ne multa adhuc in ea desiderentur, sed spes erigit animum meum fore ut non nimis severe hoc specimen a peritis dijudicetur. Sed difficile sane est, semel in campo juris gentium spatiantes, hanc solam tractare quaestionem, nullasque alias magis minusve cum illa conjunctas attingere, praesertim gravi illa, quâ vivimus tempestate, quae amplissimam praebet materiam quaestionum ad hoc jus pertinentium; tempestate, qua Francia regiam civitatis formam abrogavit et a multis jam potestatibus Europae tamquam Respublica agnita est; tempestate, qua Con-

ventus Nationalis Foederis Germanici nobis injuriose Limburgum eripere studet; tempestate, qua idem ille Conventus de jure in Slesvicum et Holsatiam cum Daniae rege litigat; tempestate, qua tot sibi invicem oppositae opiniones proferuntur atque divulgantur, ut non sine angore tempora ventura prospiciamus, quippe quae pacem atque aequilibrium totius Europae labefactura sint. Nos quidem in praesentia quieti in omnibus his quaestionibus manebimus, quum tenuitatis virium nostrarum consciï simus, neque ignoremus earum dijudicationem nobis nunc non esse mandatam. Quapropter ad nostram, quam diximus disputationem transimus.

INTROITUS.

Tota fere Europa de Isabella II Hispaniae regina
ejusque sorore nubendis, magna expectatione jam-
dudum erat commota. Hispaniae imprimis ipsius
multum intererat quis suam reginam uxorem duce-
ret, eoque magis fortasse, quod vix composito bello
civili, regni status nondum satis firmiter ibi fundatus
erat et aula hanc in rem necessario magnam vim
exercebat, unde etiam partim explicari potest, quare
quaestio de reginae matrimonio in Hispania non
tantum, sed in omnibus fere majoribus Europae ci-
vitatibus agigaretur, et ab iis tamquam victoria con-
sideraretur cujus candidato obtingeret, ut reginam
vel sororem ejus uxorem duceret. Candidati autem
erant sex: Comes de Trapani Neapolitanus,

Leopoldus Coburgensis, duo Principes Hispaniae Francisci de Paula filii, Henricus et Franciscus de Assis, dux de Montpensier, et comes de Montemolin, principis don Carlos filius. Inprimis quaestio de principum connubio agitabatur ab iis qui in Britannia et Francia rerum summae praeerant, quibus frequens literarum commercium fuit, et qui ut ex his epistolis apparet, convenerunt ut conjunctim hac de re agerent, et quidem a parte utriusque regni filios Francisci de Paula commendarent. Cum vero postea rerum exterarum in Anglia Administer Palmerston, nihil curans ea, quae decessor Aberdeen habuerat colloquia cum illustri Guizot, omnia faceret ut suaderet Hispaniae reginae nuptias cum Leopoldo Coburgensi, Guizot ratus, et recte quidem, se etiam omni pacto hac de re non amplius teneri, hoc omnimodo prohibere studebat, contra id unice agens, ut aliquis e Philippi V progenie et quidem alter Principis Francisci filiorum reginam, dux de Montpensier Ludovicam Infantem uxores ducerent. Quod ei obtigit. Die nempe 10 m. Octobris anni 1846 Madriti celebratae sunt nuptiae Isabellae II, Hispaniae reginae, cum Francisco de Assis, Lu-

dovicæ Infantis cum Ludovici-Philippi Francorum regis filio, duce de Montpensier.

Quae nuptiae Anglorum invidiam adeo moverunt, ut non longe abfuerit, quin casus belli considerarentur inter illos et Franco-Gallos. Illi enim Franciæ moderatores (ministerium vocant) accusabant: 1º quod contra omnia cum Anglico ministerio de quaestione Hispanicarum nuptiarum conventa, 2º contra articulum VI foederis cum Britannia, pace Rheno-Trajectina anno 1713 initi egissent.

Tam prius quam posterius argumentum hujus objectionis refutare nobis est propositum; quare primum breviter exponamus quae inter Anglos et Francos de Hispaniae Principibus nubendis acta sunt, ut eo melius defendamus Francorum agendi rationem et candidam et prudentem, et constantem et fortem.



C A P U T I.

„Dans la grande question des mariages Espagnols, la France, représentée par son ministre, a toujours eu de son côté le bon droit, la franchise dans les procédés, une fermeté sans morgue, et si elle a été prompte à prévenir une surprise, elle a été fidèle jusqu'au bout à tenir ses engagements.”

Journal des Débats du 21 Janvier 1847.

Inde ab initio quo quaestio Hispanicarum nuptiarum agebatur, politica agendi ratio Francorum fuit et constans et publica; ejus principium erat non oportere Hispaniae coronam excedere e gente Borbonica, quocirca aliquem e Philippi V progenie Isabellae II maritum fieri, necesse erat (1). In illo principio de-

(1) „Depuis l'origine de cette question, la politique du gou-

fendendo longius ab incepto aberraremus: sufficiat monere si regnum Hispaniae alii genti obtigisset, metus erat ne Francia consuetudine illa amica quae inter regnum utrumque abhinc 200 annis exstitit, privaretur. Jam vero, si unquam aliqua civitas hostiliter contra Franciam agere cuperet, omnia sane intenderet ad Hispanos contra eam excitandos, unde Franco-Galli necessario arma adversus illos convertere deberent, quippe quum ipsa Hispania naturali situ nullum nisi Franciam finem habeat, neque agere aliquid possit nisi cum Francia vel contra illam; ita ut vel socia esse debeat ut sub gentis Borbonicae principibus, vel hostilis ut sub Carolo V ejusque

vernement du Roi a eu un double caractère: elle a été très-décidée et très-publique.... Son principe, vous le connaissez; le trône d'Espagne ne doit pas sortir de la maison de Bourbon; pour qu'il n'en sorte pas, il importe que la reine d'Espagne choisisse son époux parmi les descendants de Philippe V. Tous les intérêts nationaux nous commandaient cette politique; la dignité de la couronne, qui est la dignité de la France; la sûreté de la France en Europe, l'équilibre européen lui-même, non pas un équilibre de nouvelle invention, factice, contestable, mais l'équilibre ancien, reconnu, traditionnel, incontesté, ce que je puis appeler l'équilibre légal de l'Europe. A tous ces titres, nôtre politique et son principe ont été parfaitement nationaux et légitimes." Oratio ab illustri Guizot in concilio Parium habita die 20 Jan. 1847. Annales du parlement français. Tom. IX, pag. 39 sqq.

filio ac nepotibus, vel tandem amica et foederata omnium Franciae hostium, quod nos docet tam historia quam geographia (1). Ad hoc evitandum omnis cura adhibenda erat, ut aliquis Philippi V descendens vel certe gentis Borbonicae, Isabellam II uxorem duceret. Quod tamen difficillimum. Hispaniae corona ambitionis praebebat latum campum; ad illam petendam plures candidatos se oblatores esse facile expectare unusquisque poterat; qui candidati, si non erant Francicae originis, a Britannia commendarentur, quia articulus foederis pace Rheno-Trajectinae initi, quo Philippi V jus in Hispanicum regnum agnitum, semper Anglis postea displicuit, uti patet ex accusatione tribus annis post in administratos Bolingbroke et Oxford instituta, qui hanc pacem subscripserant, et ex Anglorum historicorum scriptis, qui Borbonicae genti confirmatum Hispaniarum imperium semper maximam Anglicae politicae cladem existimaverunt.

(1) Franciae amicitiam semper magni aestimasse Hispanos patet ex hisce clari olim Hispani verbis: „le système politique de l'Espagne a été constamment de conserver l'amitié de la France, de vivre avec elle dans la meilleure intelligence.” *Exposition des faits et des trames qui ont préparé l'usurpation de la couronne d'Espagne*, par son Exc. Mr. De Cevallos, premier Secrétaire d'Etat et des Dépêches de S. M. Ferdinand VII. Madrid, 1813, pag. 4.

Hocce Franciae principium constanter propugnavit inde ab anno 1842 Guizot, nihil negligens ad publice hoc divulgandum, et ad suum consilium assequendum. Publice, nam ad illud Europae civitatibus patefaciendum, ad diversos reges et principes legatos misit, qui cum illis consilia haberent; erga Hispaniam ipsam per omnes illius regionis perturbationes, magna fide, amicitia, moderatione agebat. Cum tam Borussia, quam Russia et Austria dixissent se comitem de Montemolin candidatum anteferre, Guizot, ut patet e literis ab eo ad comitem de Flahault (1) die 19 m. Aprilis 1842 missis, huic rei sese opponere non conabatur, solummodo ostendens hancce electionem Hispaniae non faustam esse (2).

(1) Legatum Franciae in Austria.

(2) „Pour nous, et à ne considérer que l'intérêt français, nous n'aurions point à nous plaindre.... Mais voyons la pratique. En Espagne évidemment, le parti exalté n'y sentirait pas. Le parti modéré, guère plus.... D'autres obstacles viendraient des Carlistes eux-mêmes.... Personne, à coup sûr, en Europe, et pas plus le prince de Metternich que tout autre ne songe à employer la force, personne ne songe à imposer à l'Espagne une combinaison quelconque de gouvernement ou de mariage. La transaction, quelle qu'elle fût, qui serait tentée à cet égard, devrait se faire accepter de l'Espagne par son propre mérite, sans autre appui extérieur que celui des conseils et des influences.”

Cum, uti diximus, Franci a Britannis inde ab initio jam petivissent ut conjunctim agerent, ita tamen ut in Hispania moderate se gererent, Angli inde ab anno 1841 usque ad 1843, hocce consilio non recusato, magna tamen cautione totam hanc quaestionem egerunt; Franciae scilicet nec sese opponebant, nec cum illa ad finem impetrandum agebant. (1) Cum mense Julio 1843 Espartero potestatem fere regiam amisit, res aliquomodo mutatae sunt. Hujus rectoris casus Britanniae, quae illi favebat, vim in aula Madritana diminuit. Eodem tempore in ipsa Hispania dicebantur Franci reginae Isabella conjugium cum duce d'Aumale optare, qui rumor Anglos adeo movit ut magis cum Francia se componere studerent, ita ut illi ipsi tunc proponerent conjunctim cum illa de magna quaestione reginae et Infantis conjugii agere, ut videri potest e literis a nobilissimo Aberdeen ad legatum Cowley (2) scriptis die 21. m. Julii anni 1843, (3) quibus Guizot

(1) De 1841 à 1843 le cabinet de Londres, sans se refuser formellement à cette idée, sans repousser absolument le concert, n'y est pas nettement et activement entré. — Annales, l. c. pag. 41.

(2) Legatus Angliae Parisiis.

(3) Le gouvernement de sa Majesté proposerait que les gouvernements Anglais et Français unissent étroitement leurs efforts

respondit die 10 m. Augusti ejusdem anni epistola, ad comitem Rohan-Chabot (1) missa, qua dicit se maximo cum gaudio Britanniae voluntatis significationem accepisse, salva Hispaniae reginae libertate maritum eligendi, qui nec uni nec alteri esset damnosus. (2) Aliquot diebus post, regina Victoria Franciam adiit ad Ludovicum-Philippum in castello Eu visitandum, ubi initio mensis Septembris rerum exterarum Angliae Administer Aberdeen cum Guizot ita convenit, ut illud Franciae jam laudatum principium probaret, et omni sua auctoritate uteretur ad favendum cuicunque e Philippi V progenie, et repellendos omnes alios alius familiae procos. Cujus sermonis mentionem fecit Guizot comiti de Flahault, die 21 Sept. 1843, inter alia dicens: „Lord Aberdeen accepte les descen-

pour arrêter le torrent des discordes civiles, qui menace d'inonder encore une fois l'Espagne; et que leurs agents diplomatiques respectifs à Madrid reçussent des instructions à l'effet d'agir dans un constant et amical accord, dans le sens des vues bienveillantes de leurs gouvernements respectifs à cet égard.

(1) Londini legatus Francicus.

(2) „Le gouvernement du Roi sera empressé de se concerter „avec le gouvernement anglais pour assurer, par les voies d'une „influence légitime et en gardant à l'indépendance de l'Espagne „et à sa reine le plus scrupuleux respect, un résultat si juste „en lui-même et si important au repos de l'Europe.”

„dants de Philippe V comme les seuls candi-
 „dats convenables au trône de la reine Isabelle.....
 „Aucune exclusion est formellement prononcée. Nous
 „n'excluons pas formellement les Cobourg, l'Angle-
 „terre n'exclut pas formellement les fils du Roi.
 „Mais il est entendu que nous ne voulons ni l'une
 „ni l'autre de ces combinaisons, que nous poursui-
 „vrons ni l'une ni l'autre, que nous travaillerons au
 „contraire à empêcher que l'une ou l'autre soit pro-
 „posée pour l'Espagne, et que, *si l'une des deux*
 „*propositions était faite, l'autre reprendrait à l'in-*
 „*stant sa liberté.* L'apparition du prince de Cobourg,
 „ai-je dit, serait la résurrection du duc d'Aumale.
 „Cela convenu, lord Aberdeen s'engage à ap-
 „puyer, de concert avec nous, celui des descendants
 „de Philippe V, qui aura en Espagne le plus de
 „chances de succès, sous ces deux réserves, qui
 „sont parfaitement notre avis aussi à nous: 1° que
 „l'indépendance de l'Espagne et de sa reine sera res-
 „pectée; 2° que l'Angleterre ne prendra aucune ini-
 „tiative et se bornera à marcher avec nous, en ap-
 „puyant de son influence notre résolution commune.
 „Nous disons de nôtre côté, qu'entre les descen-
 „dants de Philippe V nous ne voulons prendre

„nous-mêmes aucune initiative ; que nous les acceptons tous, que c'est à l'Espagne à voir lequel lui convient le mieux, et que nous nous emploierons au profit de celui vers lequel l'Espagne elle-même, la portion la plus considérable et la plus considérée de l'Espagne, inclinera.”

Hiscæ compositis, primus frater regis Neapolitani, Comes de Trapani ab Aberdeen candidatus proponebatur, qui neque Franciæ (1) neque Isabellæ matri, Mariæ-Christinæ, displicebat, ita, ut si huic faveret Hispania, regina ipsa a rege Neapolitano agnosceretur, quod revera subinde factum est. Quamquam comiti de Trapani maximopere favens, Francia tamen censuit, eum etiam tam ab ipsa regina quam ab Hispanis expeti debere ; quod cum non obtineret, hocce consilium ruptum est. Ipsa gens Hispanica multa odia, injusta quidem, in illum habebat ; et Isabellæ ætate nondum matura, quotiescun-

(1) Comitis de Trapani cum Isabella II matrimonium Franciæ non displicuisse, patet ex hisce a Guizot dictis : „c'était une combinaison qui avait l'avantage de réconcilier, d'unir étroitement ensemble les trois branches régnantes de la maison de Bourbon en Europe. Grand résultat dans l'intérêt de notre dynastie et dans l'intérêt national, qui, sur ce point comme sur tous les autres, sont inséparables.”

que difficultas aliqua interveniret, conjugium differbatur.

Nil alicujus momenti factum est ante annum 1845, quo anno dux d'Aumale, cujus supra mentionem fecimus, principem Neapolitanam duxit; et paullo post, moderatores Hispaniae Francis proposuerunt ut eodem tempore conjugia reginae cum comite de Trapani, Ludovicae Infantis cum Ludovici-Philippi filio, duce de Montpensier, celebrarentur. Cum mense Septembri ejusdem anni, Victoria iterum castellum Eu frequentaret cum Administro Aberdeen, hunc secundum pacta conjunctim agendi docuit Guizot, consilium Ludovicae Infantis Franco-Gallo principi nubendae, quod probavit Anglus, dicens se semper in eadem mansisse opinione, omnia esse facienda, ut aliquis e Philippi V progenie coronam Hispaniae impetraret; quod si factum esset et liberi ex matrimonio Isabellae nati essent, sese nullo modo ducis de Montpensier matrimonio oppositurum esse. Quae colloquia inter Guizot et lord Aberdeen dicta sunt: „les engagements du château d'Eu.”

Interim Madriti quaestio frequentius agebatur; et cum, ut supra diximus, comes de Trapani Hispanis magis magisque displiceret, Leopoldi Cobur-

gensis saepius ibi mentio fiebat; quod cum periculosum Franciae videretur, Aberdeen affirmavit, nullam adesse causam quare Francia timeret.

Uti jam vidimus, mense Novembri 1845 ab Hispanis conjugia reginae cum comite de Trapani et Ludovicae cum duce de Montpensier, quae eodem tempore celebrarentur, Ludovico-Philippo proposita sunt, quod hic renuit, nolens adversus ea, quae in colloquio castelli Eu convenerant, agere, dicens tamen se paratum esse ad filium suum Infantum maritum dandum, postquam regina nupta esset et liberi ex illius matrimonio nati forent; legato suo comiti de Bresson interim mandans ut omnia quae Madriti fierent, caute observaret, ne Britannia principi Coburgensi plus justo faveret.

Cum mense Februario anni 1846 Administrorum regionum praeses Narvaez Madriti a nobilissimo de Miraflores exciperetur, hic Franciae aliud quid obtulit, scilicet Francici principis cum Ludovica matrimonium, antequam matrimonium Isabellae contraheretur. Quod etiam est recusatum.

Magna fuit celeberrimi Guizot miratio, literas accipientis a legato de Bresson, docentes nihil non Madriti agi ad favendum Leopoldo Cobur-

gensi, quem ut eodem tempore Aberdeen scripsit, revera consilarii Hispaniarum reginae maritum petebant; immo hanc ob causam Lisbonam legatos esse missos ad ejus patrem, ibi tunc degentem. Major vero etiam ejus miratio, audientis Britanniae legatum Madriti, Bulwer, hoc novisse et probasse. Cum autem Guizot hanc suam mirationem Londini significaret, respondebatur inde omnia fieri ut mutua pacta rata essent, legatum Bulwer haec fecisse sine ullo jussu et hanc ob causam jam vituperatum. Videtur ipsa Hispania maximopere hunc principem antetulisse, et causa hujus rei videtur fuisse recusatio Ludovici-Philippi detrectantis matrimonium ducis de Montpensier cum Ludovica Infante, ante vel simul cum reginae nuptiis celebrandum. Politica scilicet Hispaniae agendi ratio erat haec: semper pars gentis matrimonium reginae, quaecunque tandem, vituperatura erat, quare ei foedere cum magna civitate opus foret, ad quod impetrandum in animo habebat vel Franciae, matrimonio cum duce de Montpensier, vel Britanniae, matrimonio cum principe Leopoldo Coburgensi ineundo gratiam captare. Tres igitur erant politicae a se invicem diversae agendi rationes: Franciae, recusantis ducis de Montpensier

matrimonium cum regina, et cum Ludovica sorore nisi Isabella jam nupta, simul petentis ut Coburgensis rejiceretur: Britanniae, quamquam maiore cautione quam vigore agebat, probantis matrimonium Franco-Gallorum regis filii cum principe Hispanica, dummodo post nuptias reginae celebrarentur: Hispaniae tandem cupientis vel cum Francia vel cum Britannia amicitiam, et eo tempore maxime Leopoldo principi faventis.

Ad aequilibrium et pacem totius Europae conservandam requirebatur, ut Francia et Britannia conjunctim agerent; et revera utriusque hujus civitatis Administri primarii Guizot et Aberdeen eadem voluntate moti, huic negotio studebant, putantes utrique opus esse pace externa ad pacem internam servandam, neque ullam invidiae, ambitionis, auctoritatis politicam alterutri esse vel optandam vel necessariam; quam opinionem eandem alebat vir prudentissimus Peel, ita ut omnia omnino spem darent fore ut mox matrimonia unanimo consensu utriusque regni inirentur. Sed magna interim mutatio locum habuit. Aberdeen enim et Robertus Peel a negotiis publicis se removerunt versus finem mensis Junii illius anni 1846. Ille a Palmerstone, hic a

nobilissimo Russell exceptus est. Quae regiminis Anglici mutatio Franciae spem ademit conjunctim solvendi quaestionem de matrimoniis Hispanicis. Nimirum plus semel Aberdeen in Regni comitiis ab hodierno Administro rerum exterarum acriter fuerat reprehensus, quod, ut Palmerston dicebat, in negotio illo Hispanico auctoritatem et dignitatem Britanniae Franciae cedere permisisset, quam accusationem falsam esse, nobis probandum esse non putamus, quia hanc politicam non minus Britanniae, quam Franciae fuisse utilem, cum ex omnibus utriusque negotiationibus in quaestione Hispanicarum nuptiarum dirimenda patet, tum ex aliis controversiis, indefesso labore et summa prudentia compositis. (1)

Cum vero neque in comitiis neque aliis occasionibus Palmerston sententiam suam de quaestione, quae magis magisque expectationem Europae suspensam tenebat, aperiret, tandem die 20 m. Julii Guizot comiti de Jarnac (2) mandavit, ut Palmerstonum adiret, eique proponeret conjunctim Madriti agere in gratiam filiorum Franciscide Paula, quo-

(1) Cff. quae Angliam inter et Franciam acta sunt de jure visitationis, de controversiis cum Imperio Maroccano, de Graecia.

(2) Qui tunc Londini Franciae negotia curabat.

rum alter reginam uxorem duceret. Die superiori Londino jam literae ad legatum Bulwer missae erant, dicentes: „matrimonii cum Isabella II. candidatos superesse tres: principem Coburgensem atque ambos principis Francisci filios; comites vero de Trapani et de Montemolin praetereundos, quia in Hispania non accepti essent;” e quibus verbis satis liquebat Leopoldum principem, si reginae placeret, a parte Britanniae nullam objectionem passerum esse: simul vero hisce literis manifestum erat, novos moderatores Anglicos, ab iis quae antea cum Francis convenerant, recedere. Hinc cum ad literas a Guizot, ut diximus die 20 Julii scriptas, post quintam hebdomadam nondum rescriptum esset, legatus de Bresson jubebatur summam curam intendere ut, cum videret principem Coburgensem in Hispania, Anglica opera, plurimum valere, omni ope huic sese opponeret, quin etiam nullis amplius cum Britannia conventis adstrictus, Hispanicis consiliariis persuaderet, ut reginae alter Francisci filiorum, Ludovicae Infanti simul dux de Montpensier commendaretur, regiis virginibus tamen electionem ex his permittens. Et summa laude officio suo comes de Bresson functus est, et principium ab initio a

Francis proclamatum secutus, quamdiu potuit, stetit a conventis anno 1845 in castello Eu initis; cum vero ipsa Britannia per legatum Bulwer omnia tentaret Madriti, ut Leopoldo futuro reginae marito faveret, matrimonium vero ducis de Montpensier cum reginae sorore dissuaderet, spretis iisdem colloquiis, opera prudentissimi Francisci legati factum est, ut die 28 m. Augusti ejusdem anni 1846 pactum subscriberetur ab eo et Hispaniae Administro Isturitz, quo statutum ut Francisci de Paula filius reginam, dux de Montpensier Ludovicam infantem uxores ducerent. (1) Die demum 4 Septembris Franci adstipulati sunt simultaneae utriusque matrimonii celebrationi, quem consensum illo die dedit Guizot post acceptas literas a comite de Bresson, nuntiantes, si hic consensus differretur, omnem spem esse amissam. Haecce matrimonia probata esse non dubia voluntate ipsorum Hispanorum, patet ex eo quod comitia, quae Cortes dicuntur, die 14 ejusdem mensis Septembris congregata, magna tran-

(1) «Ce mariage sera associé à celui de la Reine, *autant que faire se pourra*»; quibus verbis aliquam libertatem sibi reservabat comes de Bresson de tempore quo hoc matrimonium locum haberet, et fidelem sese ostendit conventis antea cum Britannia initis.

quillitate et libertate de his nuptiis sententiam dicerent,
et sine ulla fere haesitatione plane iis assentirentur.
Magna igitur pompa celebratae sunt nuptiae Isabel-
lae II, Hispaniae reginae cum Francisco de Assis,
Infantis vero Ludovicae-Ferdinandae, cum duce
de Montpensier, die 10 m. Octobris ejusdem anni.

C A P U T II.

„Puisque la guerre et la paix imposent aux nations des devoirs entièrement différens et même opposés, il est indispensable de distinguer ces deux états dans le raisonnement aussi bien que dans la conduite.

*Mémoire justificatif de la Grande-Bretagne
pour servir de réponse à l'Exposé de la Cour
de France, du 16 Octobre 1779.*

Britannia videtur abusa esse Pace Rheno-Trajectina, in suum usum eam explicans. Sed eo, quo scripta est sensu accipienda est, neque fines ejus egrediendi; et hanc ob causam concedentes, illam in aeternum impedire unionem Franciae et Hispaniae, negamus tamen ducis de Montpensier nuptiis cum Ludovica Infante initis, aliquid esse factum quod hanc stipulationem infringeret, neque probabilitatem talis infractionis

adesse. Et ipsae Ephemerides The Times die 2 Dec. 1846 editae, hoc tandem agnoscunt, dicentes, falsam esse sententiam, illud matrimonium talem violationem pacis Rheno-Trajectinae esse, qualis Cracoviae subjectio Austriae adjunctae Pacto Viennae obstat, et solam Ludovicae de Montpensier Hispaniae coronae renuntiationem, concordiam Franciam interet Britanniam firmare posse. Quod enim hoc connubio violata pax dicitur, ea revera nulla est nisi cerebrina laesio quae vix miro rerum concursu oriri posset, scilicet quod post longam annorum et factorum seriem (quae tunc quidem parum congruerent renuntiationibus illo pacto celeberrimo praescriptis) aliquando Rectoris Franciae alicujus descendens et ipse rector coronam Hispaniae obtineret. Sed primo talis casus nec hodie exstat, nec unquam fere obvenit, ita ut, sit venia verbis, ridiculum foret, hoc matrimonium tamquam casum belli considerare, et in praesenti trutinam (1) quietemque totius Europae perturbare metu ne posteris, sexcentis fortasse annis post nascituris, debita cura et diligentia prospexerimus.

(1) Bilanx gentium quoque dicitur, vel Aequilibrium inter gentes. Vid. K. G. Günther, *Europäisches Völkerrecht in Friedenszeiten*. Altenburg 1787, Vol. I. cap. 5. § 5. pag. 327 sqq.

Tum vero si pacis Rheno-Trajectinae stipulationes bene attendimus, patebit eam tale quid minime prohibuisse. Omnia autem quae pace illa constituta sunt, omnia quae acta bello inde ab anno 1702 usque ad annum 1713 gesto, omnia pacta quae inter varias civitates inita sunt exponere, non lubet neque nobis est propositum. Permulta sunt scripta, quae de hisce fusiis agunt. (1) Sufficiat monere, cum die 1 Nov. anni 1700 Carolus II Hispaniae rex, sine posteris mortuus, Philippum Andegavensem, Ludovici XIV nepotem, suum successorem testamento instituisset, atque hic igitur d. 24 ejusdem mensis sub nomine Philippi V publice Madriti Rex creatus esset, Britanniam una cum Leopoldo Imperatore, Foederato Belgio, Borussia, Germanico Imperio, Lusitania et

(1) De Flassan, *Histoire de la diplomatie française*. Tom. IV pag. 216 sqq.

Cérisier, *Tableau de l'histoire des Provinces-Unies*. Tom. IX. pag. 1 sqq.

Mémoires de Lamberty, tom. II. pag. 208. sqq.

Mémoires de M. de Torey, Tom. III. passim.

Memoirs of John duke of Marlborough, with his original correspondence: etc. by William Coxe, Archdeacon of Wilts London 1820. in 8^{vo}.

Disputatio academica auctore S. C. Klinkhamer, *de bello ob successionem Hispanicam gesto, Pace Rheno-Trajectina composito; Trajecti ad Rhenum 1829.*

Sabaudia Franciae et Hispaniae bellum indixisse, quia harum civitatum reges in Caroli II testamento accipiendo, pacta et foedera omnia anteriora violassent (1), imprimis ea quae die 13 Martis anni 1700 utrimque erant inita, quibus successio totius Monarchiae Hispaniae ita ordinata erat, ut Neapolis et Siciliae regna una cum Hetruriae portubus, Finalis comitatu, Guipuscoa provincia, nec non ducatus Lotharingiae et Barium cederent Ludovici XIV nepoti, dum Carolo, Imperatoris Leopoldi filio, reliquae omnes Hispanici imperii partes traderentur (2). Causam belli, successionis dicti, hanc fuisse patet e declarationibus a Britannia, Foederati Belgii Ordinibus Generalibus, Leopoldo Imperatore atque Germanico Imperio se junctim diebus 4, 8, 15 Maji, 28 Sept. anni 1702 editis (3). Quod bellum, cum summa

(1) Quibus constitutum erat, Francicum principem in Hispanicum regnum nunquam succedere posse.

(2) De Flassan., l. c. Tom. IV. pag. 183. 204. sqq.

Pacta die 11 m. Oct. anni 1698 et die 13 m. Martis anni 1700 inter Britanniam, Franciam et Foederatum Belgium de successione in Hispanica regna post Caroli II mortem ordinanda, saepe impugnata sunt tamquam juri gentium atque omnino aequitati contraria. Nos vero non dubitamus haec pacta tamquam legitima defendere vid. thes. XXII.

(3) Dumont. *Corps diplomatique du droit des gens*. Tom. VIII. part. I. pag. 115.

vi saepius in Franciae detrimentum continuatum erat, tandem ei finis impositus est pace Rheno-Trajectina, die 11 m. Aprilis anni 1713 inita. Negotiationes de hac pace constituenda cum magnis moris et molestiis conjunctae, jam ab anno 1711 inde duraverant (1); maxima difficultas erat quod Britannia ante omnia postulabat, ut Philippus V Franciae successioni renuntiaret. Repetitae scilicet calamitates, quae brevissimo intervallo Ludovico XIV obvenerunt, tam Principe haereditario (Dauphin), quam duce de Bourgogne et duce de Bretagne mortuis, (2) Anglis persuaserant, ut huic rei insisterent et renuntiationem omni juri cum ipsius Philippi in Franciae, tum ducum de Berri et d'Orleans in Hispaniae successionem, conditionem et totius pacis fundamentum ponerent, ne aliquo tempore Franciae et Hispaniae regna sub uno rege conjungerentur, quia secundum leges Franciae fundamentales Philippus V ad hanc civitatem regnandam vocari poterat post ducis de Bourgogne minoris natu filii mortem, qui debilissima

(1) *Histoire abrégée des traités de paix*, par M. de Koch, ouvrage augmenté et continué par F. Schoell. Tom. II. cap. 10. sect. 3. pag. 60. sqq.

(2) Lacroix, *Histoire de France pendant le XVIII^e siècle*. Tom. I. pag. 15. sqq.

utebatur valetudine. (1) — Hisce renuntiationibus legitime in aeternum factis, reliquisque difficultatibus sublatis, tandem ut diximus, die 11 m. Aprilis 1713 pax constituta est, et varia pacta subscripta. Pacta haec, quae erant septem, nempe duo cum Britannia, unum cum Sabaudia, unum cum Lusitania, unum cum Borussia, duo cum Foederati Belgii Ordinibus Generalibus, exponere, nil ad rem: non nisi pacti primi inter Franciam et Britanniam initi articulus sextus sequatur, quia nuptiae, de quibus quaeremus, hujus articuli tenori contrariae dicuntur:

„D'autant que la guerre, que la présente paix
 „doit éteindre, a été allumée principalement par
 „ceque la seureté et la liberté de l'Europe ne pou-
 „vaient pas absolument souffrir que les couronnes de
 „France et d'Espagne fussent réunies sous une même
 „teste, & du consentement tant de sa Majesté Très-
 „Chrétienne, que de sa Majesté Catholique on est
 „enfin parvenu, par un effet de la Providence divine,
 „à prévenir ce mal pour tous les tems à venir, moi-
 „ennant des Renonciations conçues dans la meilleure

(1) Petitot, Collection des mémoires relatives à l'histoire de France 2ième série, tom. 76, p. 85. sqq.

„forme, et faites en la manière la plus solennelle dont
„la teneur suit ci-après.”

(Sequuntur hîc acta renuntiationum mutuarum regis Philippi V & ducum de Berry & d'Orleans.)

„Etant suffisamment pourvu par la renonciation ci-
„relative, laquelle doit être éternellement une Loi
„inviolable et toujours observée à ce que le Roy
„Catholique; ni aucun Prince de sa postérité, puisse
„jamais aspirer ni parvenir à la couronne de France,
„et d'une autre costé les rénonciations reciproques à
„la couronne d'Espagne, faites par la France, ainsi
„que les autres actes qui établissent la succession
„héréditaire à la couronne de France, lesquelles ten-
„dent à la même fin; ayant aussi suffisamment pourvu
„à ce que les Couronnes de France & d'Espagne de-
„meurent séparées et désunies, de manière que les
„susdites rénonciations & les autres Transactions qui
„les regardent, subsistant dans leur vigueur et étant
„observées de bonne foi, ces couronnes ne pourront
„jamais être réunies; Ainsi le Sérénissime Roy Très-
„Chrétien, et la Sérénissime Reine de la Grande-
„Bretagne s'engagent solennellement, & par parole de
„Roy l'un à l'autre; qu'eux ni leurs Héritiers & suc-
„cesseurs ne feront jamais rien, ni ne permettront que

„jamais il soit rien fait capable d'empêcher les Ré-
 „nonciations & autres Transactions susdites d'avoir
 „leur plein et entier effet : au contraire leurs Ma-
 „jestez Royales prendront un soin sincère & feront
 „leurs efforts, afin que rien ne donne atteinte à ce
 „fondement du salut public, ni ne puisse l'ébranler,”
 etc (1).

Si nunc Pacis Rheno-Trajectinae constitutiones bene attendimus, facile videmus duplicem earum fuisse finem: 1° ut Hispaniae regnum Philippo V ejusque genti confirmaretur (2); 2° ne Hispaniae corona unquam cum Francia conjungeretur. Ad haec duo observanda Britannia, Foederati Belgii Ordines Generales, Borussia, Sabaudia, Lusitania seorsim deinceps guarantiam in se susceperunt, ut ex variis ab illis cum Francia initorum pactorum articulis patet. Usque ad hunc diem neque pacto subsequente, neque alio modo pax Rheno-Trajectina mutata vel rupta

(1) Dumont *Corps Diplomatique*. Tom. VIII pars. 1 pag. 340.

(2) Vel, quod est idem: ut antiqua successio *cognatica* in regno Hispanico confirmaretur; quod bene est tenendum; nam illi, qui jus principis Don Carlos in successionem Hispaniae nuper defendere conati sunt, contendunt pace Rheno-Trajectina, successionem *agnaticam* in Hispania introductam. Vid. de hisce successionum ordinibus, Grotius *de Jure Belli ac Pacis*, cap. VII. § 27, sqq.

est; contra, semper ejus articuli renovati et confirmati sunt foederibus posterioribus inter magnas continen-
tis et maritimas potestates, usque ad Franco-Gallo-
rum mutatam, versus superioris saeculi finem, rem-
publicam initis (1). Quorum pactorum confirmatio
demum omissa est pace Ambianensi d. 27 Martii
anni 1802, uti et illa, quae in urbe Luneville
anni 1801 fuerat icta. Unam tantum alicujus mo-
menti mutationem subiit pax Rheno-Trajectina, pacto
scilicet Viennae anni 1738, quo Siciliarum regnum
Borbonica gens obtinuit (2). Ceterum etiam nunc
majoris Europae partis jus gentium nititur elementis
pacis Rheno-Trajectinae. Quare unaquaeque illarum
civitatum, quae pactorum observandorum guarantiam
in se susceperunt, non aliter quam secundum prin-
cipia Juris Gentium universalis, jure interveniendi
deberet uti (3), si aliquid hisce contrarium factum

(1) Exempla sunt foedera inita anno 1748 occasione pacis
Aquis Granensis; deinde anno 1763 *Parisiis* et *Hubertsburg*;
anno 1783 in urbe *Versalia*, aliaque. *Recueil manuel et pratique*
de Traités, Conventions et autres actes diplomatiques par le
Bn. Ch. de Martens et le Bn. Ferd. de Cussy. Leipzig
1846. Tom. I, pag. 30, 301. Introd. pag. VI.

(2) *Diplomatie de la France et de l'Espagne* par Capefigue,
pag. 123 sqq.

(3) Henry Wheaton, *Elements du Droit international*.
Tom. I. pag. 77. § 3. droit d'intervention.

diceretur. Si igitur matrimonio Infantis Ludovicae cum duce de Montpensier ineundo, revera pactum laudatum vel illius quidam articulus laesus est, Britannia jure suo usa est in illo prohibendo; sin minus, injuria egit.

Num est matrimonium cujuscunque gradus heredis Francicae coronae, cum cujuscunque gradus Hispanicae coronae herede, violatio illius articuli sexti, et renuntiationum, quibus cautum, ut hic articulus ratus sit? Si esset, tum certo ex tali matrimonio nati liberi duplici exclusione premerentur, coronae nempe Francicae, quia Borbonicae gentis in Hispania, et coronae Hispanicae, quia Borbonicae gentis in Francia posterii essent; sed tum etiam ut eleganter expressit dux de Broglie (1), in concilio Parium, secundum illam articuli sexti explicationem, neque Ludovicus-Philippus rex, neque Isabella II regina manere pos-

(1) «Comme il s'est conclu beaucoup de mariages entre les deux branches de la maison de Bourbon, on peut dire qu'il n'y a en ce moment sur les marches du trône de France, aucun prince qui n'ait dans ses veines un peu de sang des Bourbons d'Espagne. Les fils du Roi, sont les fils de la Reine, et la Reine descend de Philippe V. On peut dire également qu'il n'y a, ni sur le trône ni sur les marches du trône d'Espagne, aucun prince, aucune princesse, qui n'ait dans les veines un peu de sang des Bourbons de France. La reine Isabelle, l'Infante sa soeur, ses oncles et ses cousins, sont tous

set, quia Franco-Gallorum regina e stirpe est Philippi V, et Isabella II sororque ejus recta linea a Ludovico XV ortae sunt (1). At pace Rheno-Trajectina nihil tam stulte est constitutum. Ea enim tantum successionem, non vero matrimonia ordinat. Videmus ante omnia illam exegisse, ut Philippus V Franciae, duces de Berry et d'Orleans Hispaniae successionem renuntiarent, quibus factis, articulus ille sextus, providens etiam aliis modis quam successioni legitima, electione, exempli gratia, vel testamento, vel matrimonio Hispaniae et Franciae coronam acquiri posse, principium posuit generale, nimirum Europae trutinam non permittere ut unquam in uno rege duae illae coronae conjungerentur; quae constitutio eo tendit, ut si casu quodam simul uni principi obvenerint, hic non utramque retinere possit, sed uni vel alteri renuntiare debeat. Haec tantum cavet ille articulus, qui etiam nunc viget. Neque

filis ou petits-fils de Charles IV, et la femme de Charles IV, la mère ou l'aïeule de ces princes ou princesses, était petite-fille de Louis XV; d'où il suit, que si cette théorie devait prévaloir, le plus pressé serait de faire dans les deux pays maison nette des races royales, de déclarer les deux trônes vacants, et de convoquer les deux nations pour y pourvoir." *Annales du Parlement Français*. Tom. IX, pag. 23.

(1) Vid. infra pag. 44.

magis hodie, si Borbonica gens in Hispania esset extincta, principi alicui ejusdem gentis Franciae imperanti, ibi succedere liceret, nec contra; etiam nunc si casu aliquo in uno homine ambae illarum civitatum coronae conjungerentur, locum optioni esse, in dubium vocandum non est. Non vero propterea dici potest pax Rheno-Trajectina prohibuisse, vel prohibere voluisse matrimonia inter duas gentes ineunda, principem inter aliquem Francicum et Hispanicam Infantem, aut inter Hispanicum principem et Francicam. Quibuscunque modis pax Rheno-Trajectina explicetur, nunquam tale quid invenietur in articulo sexto, neque in ipsis renuntiationibus, quibus est fundatus. Neque eam hoc prohibere nos docet etiam historia, quae imprimis in jure gentium practico est consulenda, contra scimus plura talia matrimonia inita esse, exempli gratia, anno 1721, octavo igitur anno post pacem compositam, cum in Britannia regii Administri Bolingbroke et Oxford jam damnati fuerant (1), quod hanc pacem sub-

(1) *Histoire constitutionnelle d'Angleterre, depuis l'avènement de Henri VII, jusqu'à la mort de George II*, par Henri Hallam, traduction revue et publiée par M. Guizot. Paris 1829. Tom. V. p. 28, 29.

scripsissent in detrimentum suae patriae, duae ducis Orleanensis, Vicarii Franciae filiae principes de Montpensier et de Beaujolais nupserunt altera Ludovico I, principi Asturiensi, altera principi Carolo, Philippi V filio; dum infans, filia primaeva regis Philippi V, quae aetatem quatuor annorum nondum impleverat, destinabatur Ludovico XV ipsi (1); aliaque inveniuntur exempla matrimoniorum initorum inter Philippi V posteros et alios principes gentis Borbonicae, qui successioni in Hispaniam renuntiaverint. Nunquam tamen tempore quo hae initae sunt nuptiae, existimabantur illi Philippi posterius jus regnandi in Hispania amisisse, quasi e renuntiationibus exortus esset morbus contagiosus, qui ab una stirpe alteri communicaretur; neque magis nunc hoc cogitari licebat de matrimonio ducis de Montpensier. Post bellum enim undecim annorum, quod breviter attigimus, Europa, inprimis Britannia putabat Ludovici XIV nepotem et huius progeniem sine ullo periculo Europae trutiniae Hispanicam coronam gerere posse, dum eodem tempore

(1) *Diplomatie de la France et de l'Espagne* etc., par M. Capetigue pag. 113, 114.

Ludovici XIV posterius Francis imperarent. Qui consanguinitatis gradus inter ambos potentissimarum regionum reges, et vincula inde oriunda, initio saeculi 18 non suspecta fuerunt ab omnibus fere Europae civitatibus, quibus sufficere videbantur cautiones pacis Rheno-Trajectinae, quibus coronarum laudatarum unio prohiberetur.

Concedimus pacem Rheno-Trajectinam adhuc vigere, concedimus igitur etiam conjunctionem Franciae et Hispaniae semper esse prohibendam, sed inde ut sequatur illud pactum esse violatum, non concedimus. Ludovicus-Philippus neque ipse reginam vel Infantem duxit, neque ejus nepos, nisi ista tristissima reipublicae conversio intervenisset die 24 Februarii hujus anni, qua tota familia regis exacta est, designatus successor, Comes Parisiorum, neque hujus frater dux de Chartres, neque dux de Nemours, qui post Ludovici-Philippi mortem, Vicarii munus obiturus fuisset. Uxorem Hispanicam obtinuit dux de Montpensier, qui nullam spem habebat regiae in Francia dignitatis adipiscendae. Angli autem aliter hanc pacem interpretantes, non quoniam, ut ipsi dicebant, conditiones ejus violatae essent, sed revera quod eorum fas-

tus atque insolentia retusa erat, hanc Francorum victoriam concoquere non potuere. In Ephemeridibus The Britannia d. 5 m. Octobris 1846, ipsa haec verba leguntur: „Administri nostri *confugiunt* „ad pacem Rheno-Trajectinam.” Et recte quidem „*confugiunt*,” nam nullus casus, qui pacem infringeret, aderat. Inprimis nobis est quaerendum, num ducis de Montpensier matrimonium aliquam probabilitatem praebeat, ut Franciae et Hispaniae coronae jungantur, an vero de hac probabilitate merito dubitetur a prudentibus ingeniosisque viris? Si enim illud matrimonium talem eventum non incertum secum traheret, sine dubio omnia tentanda erant Britanniae ut illud prohiberetur; si vero talis rei nullus aderat metus, intercessionem non tantum damnosam esse statuimus; sed etiam injustam in re eventuali, qualis haec est. Quippe quae ex illo matrimonio fortasse oriri possunt consecutiones, vix tales erant, quae rerum civilium peritum virum vel per momentum detinerent. Etenim si ulla aderat probabilitas, Ludovicam Infantem, Hispaniae coronam unquam obtenturam esse, et adesse videtur, quia huc usque Isabella regina liberorum procreandorum spem nondum dedit, quatenus tandem aderat suspicio ducem

de Montpensier Franciae regem unquam creatum iri? Ei antecedere debebant duo filii ducis Orleanensis praemortui; tres fratres: dux de Nemours, princeps de Joinville et dux d'Aumale, e quibus omnibus jam liberi nati sunt, quique illum ergo jam excludunt. Probabilitas igitur Franciae coronae obtinendae ei nulla erat, et longe ut videtur certius ita, quam omnibus politicis computationibus a regno arcebatur. Posset, concedimus, obvenire ut post aliquot generationes aliquis nasceretur, qui simul utriusque coronae heres esset, sed aequè probabiliter lex salica non eadem duabus mansisset civitatibus, atque coronas diversis gentis principibus assignasset; eo magis quod generaliter successiones legibus imperii ordinantur, quas non semper stabiles, constantesque esse, posterioribus temporibus maxime patefactum est. Ad summum igitur longe remota probabilitas qualiscumque, nulla vero certitudo istiusmodi successionis aderat. Sed ponamus talem casum exstare, tum ipsa Hispania prima consurgeret ad bellum civile, et omnes Europaeae civitates, cautionibus quae continentur pace Rheno-Trajectina non violandae, huic infractioni resisterent.

Nunc duo adhuc argumenta nobis refutanda su-

persunt, quae fortasse lector, si quis erit, nostrae disputationi objicere possit, nempe nuptias, quae antea locum habuerint inter Hispaniae et Franciae principes, nullo modo conferri posse cum eo, de quo agimus matrimonio, quia eo tempore mos, feminas etiam succedere in Hispanico regno, non vigeret, cum Ferdinandus VII demum hunc introduxerit, atque ita Hispanicas Infantes per se, olim nullum jus ad successionem habuisse; hoc vero nunc esse mutatum: et etiam si casus exstent, quibus pacis Rheno-Trajectinae constitutiones non observatae sunt, hanc praeteriti saeculi supinam negligentiam, minime hujus saeculi administris favere. Hoc ita esse non negamus; verum adeo nihil contra nostram sententiam probat, ut potius illam confirmet. Attendamus scilicet Philippum Infantem, Parmae ducem, Philippi V filium, anno 1739 Ludovicam-Elisabetham, Ludovici XV filiam, duxisse; Infantem Ludovicam-Theresiam, ex hocce matrimonio natam, Ludovici XV igitur neptem, anno 1765 Carolo nupsisse, principi Asturiensi, qui deinde Hispaniae rex fuit sub nomine Caroli IV; ex hocce matrimonio natum Ferdinandum VII, Hispaniae regem, fuisse Ludovici XV pronepotem, atque ita

illius filiam Isabellam II, quae hodie Hispanis imperat, recta linea ab illo Ludovico XV progenitam esse. Num Britannia unquam jus Isabellae in regnum Hispanicum in dubium vocavit? Impugnatum revera est ab aliis; non quia pax Rheno-Trajectina impedimento esse crederetur, quominus duo ex una eademque stirpe Francis et Hispanis imperarent (ejus enim patris Ferdinandi jus nemo unquam contraxit); sed quia secundum multorum opinionem in Hispania feminis non liceret succedere, nisi omni prole masculina extincta, atque igitur principem Carolum, Isabellae nepti anteferendum esse. Hanc sententiam falsam esse, paucis verbis exponere facile erit (1).

Ordo enim successionis (2) in Hispania, antea unice

(1) Pulcherrimam disputationem scripsit, qua jus Isabellae II in successionem Hispaniae probavit, cl. Zöpfl, *Die Spanische Successionsfrage, historisch und publicistisch erörtert*. Heidelberg. 1839.

(2) Hugo Grotius, *De jure Belli ac Pacis*, libri II, cap. VII, § 22. Frequens autem in regnis est alia quaedam successio, non hereditaria, sed quae linealis dicitur, in qua observari solet, non jus illud subitionis in locum quae repraesentatio dicitur, sed jus transmittendi futuram successionem, quasi delatam, lege scilicet ex spe, quae nihil ex se et naturaliter operatur, jus quoddam verum excitante.

consuetudine (1) nitens, anno 1260 primum lege constitutus est, cum Alphonsus X, sapiens (El Sabio) dictus, libro „*de las siete partidas*,“ huic consuetudini legis auctoritatem tribuit (2). Lex II tituli XV, parte secunda, cui titulus: „*como el fijo mayor ha adelantamiento, et mayoria ssobre los otros ssus hermanos*,“ successionem ordinat. Secundum hanc legem, corona semper filio majori natu obtingebat; post filios mortuos filiabus, hisce deficientibus, patruis, materteris cet. (3); quod anno 1505 a comitiis (Cortes dictis), in urbe Toro congregatis, confirmatum est (4), post mortem Isabellae, hujusque

(1) «Diese Thronfolgeordnung, die fast eben so alt ist, als die Spanische Monarchie selbst, ist durch keinen Fürsten, durch kein gewaltsames Ereigniss, durch kein streben einer Faktion zuerst eingeführt worden. Die Einführung dieses successions Principes war aber auf der anderen Seite, kein Ergebniss von Zufälligkeiten: es war das dringende, das allgemein gefühlte Bedürfniss, welches darauf fuhrte — die Nützlichkeit war es, welche es empfahl, und endlich hat es die Zeit mit ihrer heiligen Autorität bekleidet.» Zöpfl., pag. 10, 11.

(2) *Chroniqua del muy esclarecido principe y rey don Alonso*, impresso en Valladolid, año 1554 in 4o, segunda partida, titulo XV, ley 2, fol. 35.

Vid. Mignet. *Négociations relatives à la succession d'Espagne sous Louis XIV.* Tom I. pag. 15, 16, 17.

(3) Mariana. *Historia de Espana.* lib. I. cap. 3, publicada por el Doctor Sabau. Madrid. 1828.

(4) Quadragesima harum legum, *taurinarum* dictarum (la ley

filiae Joannae, Caroli V matris, in regnum successionem. Hic ordo successionis, quo filii filiabus, filiae patruis praeferiebantur, semper sexus, aetatis, gradus rationem habens, quamquam minime in commodum ipsius Hispaniae erat, etiam a Carolo V observatus est, ut videre licet ex ejus testamento, Bruxellis dato, die 6 Junii anni 1554 (1). Initio demum saeculi 17, ordo successionis femininae per-

quarenta de las hechas en la ciudad de Toro), est haec: «En la sucession del mayorazgo, aunque el hijo mayor muera en vida del tenedor del mayorazgo, o de aquel a quien pertenesce, si el tal hijo, mayor dexare hijo, o nieto, o descendiente legitimo, estos tales descendientes del hijo mayor por su orden se prefieran al hijo segundo del dicho tenedor, o de aquel a quien el dicho mayorazgo pertinesca. Lo qual no solamente mandamos que se guarde y platique en la sucession del mayorazgos a los ascendientes, pero aun en la sucession de los mayorazgos a los transversales, de manera que siempre el hijo, y sus descendientes legitimos, por su orden representen la persona de sus padres, aunque sus padres no ayan sucedido en los dichos mayorazgos, salvo si otra cosa estuviere dispuesta por el que primeramente constituyó y ordenó el mayorazgo, que en tal caso mandamos que se guarde la voluntad del que lo instituyó.» *Comm. in leges taurinas, nunc postremo aucti et recogniti per Antonium Gomez, primum juris civilis in academia salmanticensi professorem. Nova edit. in folio. Genevae MDCXXVIII, pag. 186.*

Mignet. pag. 20.

(1) «Preferiendo siempre el mayor al menor, y el varón a la hembra, y en yqual linea o grado, el nieto o nieta hijo del primo-genito que murió en vida del padre al hijo secundo-genito que se halló vivo al tiempo de la muerte del padre, conforme a la dispo-

petuus esse cessavit, quum duae gravissimae res crederentur repugnare huic in regno Hispaniae successioni, altera justitiae principio, altera politica ratione fundata. Ipsa scilicet juris aequalitas, inter Franciam et Hispaniam matrimoniorum ineundorum, constituenda erat, ita ut Hispaniae aliquis Infans Franciae coronae non civitates afferret, quibus Hispaniam donare non posset Francici regis filia (1). Et Europae trutina, quam necessariam esse ostenderant bella, saeculo 16 gesta, cohibebat quominus duo regna, tam lata atque vicina, matrimoniis conjungerentur. Quam ob causam anno 1612, Infantis femininae jus in successionem imminutum est. Hoc enim anno, quo Ludovicus XIII Infantem Annam Austriacam uxorem duxit, in duarum civitatum futuram conjunctionem, cautiones quaedam adhibitae sunt. Hispaniae lex fundamentalis hujus matrimonii stipulationibus mutata est, quibus Anna Austriaca juri suo in successionem futuram renuntiavit, pacto Madriti, d. 12 Aug. ejusdem anni inito,

sicion de las leyes y prematicas de las *Partidas*, y otras de nuestros reynos y señorios." (Extrait du Testament de Charles V, du 6 Juin 1554.) *Corps diplomatique de Dumont*, suppl. tom. II, part. I, pag. 141.

(1) Nam in Francia feminis succedere non licet.

quo et pro se ipsa, et pro omnibus suis posteris, in perpetuum omnia jura in Hispaniae regni hereditatem, repudiavit (1). Haec legis fundamentalis abrogatio praecessit et exemplum fuit pacto renuntiationis Mariae-Theresiae, Philippi IV filiae, cum Ludovico XIV nuberet (2), neque tamen ejus sensus, neque condiciones tam certae et firmæ erant, quales prioris pacti, cum, qui apud Francos tum temporis summa pollebat auctoritate, Cardinalis Mazarin, has nuptias cogitans, Franciæ principibus Hispaniæ successionem adserere studeret; quod patet e literis ab eo ad Franciæ legatos Monasterium, d. 20 m. Januarii a. 1646 missis (3), ibi ad pacem constituendam degentes. Jam autem, cum ex illo conatu ortum esset bellum successionis in Hispania, ante omnia pace Rheno-Trajectina curandum erat, ut et trutina totius Europæ ordinaretur,

(1) «Que la christianissima reyna de Francia D. Ana, y sus hijos y descendientes del matrimonio con el christianissimo rey Luis XIII no puedan succeder en los reynos de Espana, ni en sus adjacentes, salvo en los casos que dispone esta ley." *Nueva recopilacion de las leyes de Castilla*, Madrid 1640. l. V, tit. VII, l. 12.

(2) Dumont *Corps diplomatique*. Tom. VI. part. 2. pag. 283.

(3) Mignet, *Négociations*, pag. 33. «L'infante étant mariée à sa majesté, nous pourrions aspirer à la succession des royaumes d'Espagne, etc."

et successio Hispaniae regni Philippo quinto ejusque posteris confirmaretur; quem in finem inprimis leges fundamentales hujus civitatis mutandae erant; quod revera factum est lege die 12 m. Maji, anni 1713, a Philippo V et Regni Ordinibus lata; qua lege cautum est, ne feminae, nisi stirpe masculina omnino deficiente, succederent (1); quae praecipua erat mutatio in illa, quae hactenus valebat, „successione Castiliana,” vel „successione lineali cognatica,” ita dicta (2). Haec constitutio viguit usque ad annum 1789, quo anno a rege Carolo IV, suadente Administrato Florida Blanca, antiqua Hispaniae lex

(1) D. Petri Josephi Perez Valiente, *Apparatus Juris Publici Hispanici*, Matriti 1751. Tom II, Cap. XXI. § 82, pag. 335.

Mably, *Droit public de l'Europe*; ed. Rousset. Tom. IX, pag. 28.

(2) Secundum hanc legem regnum Hispanicum est *indivisum* (senorio uno), *legitimum*, jus primo-geniturae confirmans (mayoria). Vid. Achenwall. *Staatsverfassung der heutigen vornehmsten Europäischen Reiche und Völker*. Göttingen 1790. Tom. I. § 14. pag. 88.

Hugo Grotius, *De jure belli ac Pacis*. Lib. II, cap. VII, § 22: „Haec est successio regni Castellae, ad ejus exemplum etiam majoratus jura in eo regno constituta sunt. Successionis autem hujus linealis argumentum, si lex et exempla desint, sumi poterit ex ordine qui in publicis coetibus servatur.”

Lud. de Molina, *De primogeniorum Hispanorum origine et natura libri IV*. Lugduni 1727, L. I, cap. 2 § 7 & § 8.

in gratiam successionis femininae restituta est. Hic actus (Sanctio pragmatica), cum illam successionis ordinationem a Philippo V introductam, aboleret (1), anno 1830 a rege Ferdinando VII iterum solenniter promulgatus est et confirmatus, qui rex, cum non haberet filium, metuens ut hoc secundum nonnullorum sententiam sufficeret, quo filiae suae successionem firmaret, anno 1833 regni concilium, quod Cortes dicitur, convocavit, petens ut fidem Isabellae, coronae heredi, jurarent (2). Princeps Carolus huic rei sese opposuit, contendens regnum Hispaniae sibi tradendum esse, cum Ferdinandus sine prole masculina obiisset, et secundum Philippi V constitutionem, successionem agnaticam in Hispania unice vigere. Quamvis autem reges Neapolitanus et Sardiniae, aliique ei faverent,

(1) Haec constitutio, *Auto-acordado dicta*, a Philippo V "motu proprio" est introducta, et quamquam legis vim habebat, tamen non est ordinata et confirmata secundum ea, quae requirebantur ad legem fundamentalem constituendam (Ley 24 de la Partida II.)

Campomanes, *Noticia de las Cortes en Espana*, Madrid 1729. *Essai historique sur la loi de succession de la couronne d'Espagne*, par le Marquis de Miraflores, Comte de Villa paterna, Paris. 1839, pag. 12.

(2) Henry Wheaton. *Histoire des progrès du droit des gens*. 2 ed. tom II. § 26, pag. 207.

Francia et ipsa illa Britannia, quae 13 annis post, matrimonio ducis de Montpensier frustra obstetit, statim jus Isabellae II agnoverunt; quam agendi rationem eo defendebant argumento, quod legis fundamentalis mutatio, quatenus ordinem successionis respiciebat, solenniter, ut jam diximus, anno 1789 a Carolo IV introducta, a Ferdinando VII confirmata esset, secundum constitutiones et praescripta ipsius legis fundamentalis (1). Quam ob rem Francia, Britannia, Lusitaniae regina Maria, auctore Petro, Braziliae olim Imperatore, patre atque tutore (2), et Hispaniae regina Isabella

(1) Cum enim anno 1789 comitia (Cortes) convocata sunt, non ut patria perturbarent instituta, sed ut antiquam Imperii legem fundamentalem restituerent atque tuerentur, omnia quae requiruntur, ut lex fundamentalis legitime constituatur atque rata sit, aderant, scilicet, 1o Solennis a rege facta convocatio; 2o Valida atque sufficientia delegatorum exhibita mandata; 3o numerus legitimus delegatorum, ita ut nulla non repraesentaretur urbs; 4o regis rogatio, ordinum deliberatio in solenni sessione, petitio delegatorum ad regem, sacrum rescriptum (*sanctio*) ei a rege datum, ejusdemque proclamatio in delegatorum conventu; — verbo, omnium ratio habita est, quae religiosissima diligentia in ceremoniis atque ritibus observandis postulare possit. Zöpfl pag. 158.

(2) Jus Mariae scilicet in regnum Lusitaniae, ab ejus patruo (Don Miguel) impugnabatur, quam ob causam, Mariae pa-

II, tutrice Christina matre, die 22 mensis Aprilis anni 1834 foedus, quadruplex dictum, inierunt. Et haec ipsa Britannia, quae jura Isabellae II palam agnoverat, quamvis tunc jam Franciae regis neptis, nunc affinitatem inter illum et Hispaniae reginae sororem paullo arctiorem, violationem pacis Rheno-Trajectinae nominare, non veretur!

Hocce igitur, quod e superioribus matrimoniis petitur argumentum, nostro proposito favere magis quam nocere, satis fuse nos exposuisse credimus; et etiam si Ludovica Infans aliquando Hispaniae regina foret, nulla tamen, uti jam ostendimus, illo, quo celebrabantur tempore nuptiae, aderat probabilitas, ut duci de Montpensier Franciae corona obtingeret. Sed fortasse dixerit aliquis (quod secundo loco nobis refutandum est argumentum), qualemcumque metum sufficere; nimirum certitudinem, non vero probabilitatem adesse debere, pacem prorsus ruptum non iri foederis alicujus laesione; et nisi certitudinem, probabilitatem saltem quandam adfuisse, ducem de Montpensier aliquando Franciae fore regem; nam quod Ludovico XIV acci-

ter imperatoria dignitate regni Braziliae se abdicavit, atque se in Lusitaniam contulit, ut rector jura filiae suae tueretur.

dit, idem Ludovico quoque Philippo accidere potuisse, ut omnis fere ejus proles, quae ducem de Montpensier a regno arcebat, de vita decederet. Hoc revera fieri potuisse, facile concedimus; sed istam probabilitatem vix cogitari potuisse ostendimus, dicentes, Britanniam injuste actionem in re eventuali instituisse. Certitudo fere nunquam, probabilitas fere semper aliqua exstat in rebus humanis, ita, ut si contendere vellemus, hancce ob causam, istud, de quo agimus, matrimonium infringere articulum sextum aviti inter Franciam et Britanniam foederis, tum etiam matrimonium Ludovicae Infantis cum quovis Franco-Gallo prohibendum fuisset, quia ille articulus non solum eorum, qui hereditate legitima ad regnum vocentur, mentionem facit, sed omnium, quibus vel electione, vel testamento, vel matrimonio imperium obtingat; et quia, quod tamen nemo tunc verosimile fuisse dixerit, in magna rerum conversione, is, cuicumque tandem Ludovica nupta fuisset, a populo Franciae rex, vel dictator eligi potuisset. Sed quis tandem adeo ineptus est, ut tale quid auctores pacis Rheno-Trajectinae voluisse, contendat? Contra, cum viderimus ante illam pacem constitutam, Philippo V renuntiandum fuisse

Francico imperio, non negamus, si Ludovici-Philippi gens huic civitati adhuc praeësset, et duci de Montpensier aliqua ex inopinato spes nata fuisset, ut ejus successor in regno Francico fieret, omnino hunc oportuisse Franciae, vel ejus uxorem Ludovicam, Hispaniae coronae renuntiare.

Quae sufficiunt ad secundum argumentum refellendum, et ad nostram probandam sententiam. Etenim, cum pacis Rheno-Trajectinae constituendae historiam et pacta attendimus, quanta nos subit miratio, ubi videmus, Anglos non tantum celebre illud foedus falso esse interpretatos, sed ejus etiam mentem, consilium, naturam ipsam detorsisse, contententes, praecipuum et verum ejus finem, praeter pacis restitutionem, fuisse eundem, unde bellum, quod antecesserat, ortum esset: ut nempe, inter Franciae et Hispaniae regna, arcta necessitudo sanguinis prohiberetur, quamquam ipsa, quam laudabant historia saeculi, quod pacem Rheno-Trajectinam secutum est, non uno nos docet exemplo, hanc affinitatem plus semel, nullis contradicentibus, adfuisse. Secundum talem illius pacis interpretationem, pacta neque sufficiebant saeculo praeterito neque hodie sufficerent proprio ejusdem pacis consilio,

quippe quod non in ipsis tunc initis stipulationibus, sed in belli causa esset quaerendum. Jam vero Britannia, ejusque socii sibi invicem fidem dederant, se prohibituos esse, quominus Ludovici XIV nepos, hujusque progenies, Hispaniae regno potirentur. Ludovicus XIV pro suo nepote ejusque prole coronam Hispaniae accipiens, eidem omnia jura in Franciae regnum servare cupiebat. Haec ambo bello ansam dederunt. Bello vero 11 annos gesto, controversia transactione sopita est. Britannii cum sociis, stirpi gentis Borbonicae tranquillam Hispanicae coronae possessionem permiserunt. Ludovicus XIV contra, misso proposito, non amplius obstitit, quominus Franciae et Hispaniae regna in aeternum duo, eaque separata regna manerent, quae nunquam uni eidemque principi cederent. Haec utrimque constituta sunt pace Rheno-Trajectina, cujus unicus et verus finis erat, ut non hae vel illae partes omnia obtinerent, quae bello obtinere studuerant, sed ut, frenatis tandem ambitiosis consiliis, omnes communiter pace fruerentur.

Qui talem hujus pacis indolem esse negant, et in belli successionis Hispanicae primis causis, non in conditionibus quibus ipsa pax composita est, princi-

pium agendi celeberrimorum illius temporis politico-
rum quaerunt, ipsi paci Rheno-Trajectinae vim face-
rent; et his ipsis omnia mala, quae ex tam perversa
foederis interpretatione consequerentur, imputanda
forent. Rex Ludovicus-Philippus, et qui illi
a consiliis erat, Guizot juris gentis praecepta non
violarunt, quippe quae nil aliud, nisi Europae tru-
tinae fundamenta intacta servari velint, pace Rheno-
Trajectina confirmata (1). Angliae vero Administri
eodem tempore, quo ad unum sextum articulum

(1) Vid. Discours préliminaire de Mr. le Conseiller d'Etat Engelstoft, in libro qui inscribitur *Repertoire historique et Chronologique des traités conclus par la couronne de Danemarck etc.* par H. C. de Reedtz. Gött. 1826, pag. XV. «La paix d'Utrecht, quels que fussent d'ailleurs les changements qu'elle amena, maintint le système d'équilibre que le traité de Westphalie avait fondé, et lui donna plus de consistance. Ce système, ayant au milieu des chocs les plus redoutables sauvé l'indépendance de plusieurs états et son utilité comme moyen de défense et de garantie étant ainsi prouvée par des faits, dut nécessairement augmenter de crédit comme la seule véritable égide, contre l'abus de la force. Et l'Angleterre qui avait déjà joué le premier rôle dans les négociations d'Utrecht, étant par ses propres intérêts attachée à un système de balance continentale, ce système ne cessa pas dans la suite d'exercer une influence marquée, même en partageant des violations du droit que d'ailleurs il avait pour but de prévenir ou de réprimer, comme l'histoire du dix-huitième siècle en fournit suffisamment des épreuves.»

pacti, inter Franciam et Britanniam illa pace initi, provocabant, fundamenta ejusdem pacis loco suo moverunt, et longe aliam agendi rationem secuti sunt, qua revera Europae aequilibrium et pax publica tantum non rumpebatur (1).

(1) Defensorem nacti sunt Angli in ipsa Francia, celebrem poëtam Lamartine, qui die 4 Martii hujus anni elegantius quam verius dixit in *Circulaire du ministre des affaires étrangères aux agents diplomatiques de la république française (Manifeste aux Puissances)*. „Une seule question de guerre avait été posée, il y a un an, entre la France et l'Angleterre. Cette question de guerre, ce n'était pas la France républicaine qui l'avait posée, c'était la dynastie. La dynastie emporte avec elle ce danger de guerre qu'elle avait suscité pour l'Europe, par l'ambition toute personnelle de ses alliances de famille en Espagne. Ainsi cette politique domestique de la dynastie déchue, qui pesait depuis dix-sept ans sur notre dignité nationale, pesait en même temps, par ses prétentions à une couronne de plus à Madrid, sur nos alliances libérales et sur la paix.” *Trois mois au Pouvoir* par M. de Lamartine. Brux. 1848. pag. 72.

T A N T U M.

THESES.

I.

Inter omnes creditores principem obtinet locum
fiscus, quatenus omnino habet privilegium.

II.

Retinemus possessionem tamdiu, quamdiu et po-
testati nostrae subicitur res, nec contrariam habendi
voluntatem certis indiciis significavimus.

III.

Vacua possessio non est propria species possessionis, neque ad res mobiles pertinet.

IV.

Dominus aedium non habet directum pignus in rebus ejus, qui a conductore conduxit.

V.

Art. 1601 Cod. Civ. Bat. dispositio praeferenda videtur art. 1733 Cod. Civ. Nap.

VI.

Ut cum marito habitet, carcere civili cogi non potest uxor.

VII.

Jus mercatorium minus recte a nonnullis dicitur esse mera applicatio juris civilis ad res mercatorias, vel illud constare exceptionibus a jure communi.

VIII.

Sententiam viri Cons. Frets, de jure Nummularii (*Kassier*) in apochis publicis, ei a mercatore missis, quae exponitur in *Bijdrag. tot Regtsgel.* a. 1836, Vol. X, N°. 3, minus veram credimus.

IX.

In jure criminali constituendo, etiam nunc sententia valet Ciceronis (*pro Cluentio* Cap. 46), dicentis: „faciendum est ut metus videlicet ad omnes, poena ad paucos perveniat.”

X.

Poenam deportationis, inprimis in civitate turbata, usum praebere, statuimus.

XI.

Certamina singularia nunquam probanda esse putamus, eaque legibus de homicidio et vulneribus vindicanda sunt.

XII.

Vias ferratas publicas esse habendas, contendimus.

XIII.

Jure gratiae art. 66 Legis Fundamentalis, criminis abolitio non continetur.

XIV.

Quamquam poena personam delinquentis non egreditur, tamen probanda videtur constitutio art. 447 Cod Qu aest. Crim. Bat.

XV.

Stabilitas ordinis judicialis cum civitatis, tum singulorum juribus ac quieti firmissimo est praesidio. Et cum eo facimus, quod legitur in libro cui titulus: „*Beginnelsen van Nederlandsch Staatsbestuur*,” pag. 123: „Deze (levenslange benoeming) is een der gewigtigste waarborgen voor de onafhankelijkheid der „Regterlijke magt.”

XVI.

In jure publico constituendo, magis historia, minus vero theoria consulenda est. Quocirca assentiendum videtur docto viro, in ipso aetatis flore extincto, Klimrath, dicenti in libro, *Travaux sur l'histoire du droit français*, Tom. I. pag. 12: „le législateur „ne saurait se soustraire à l'élément historique, aux „usages, aux coutumes, aux lois antérieures, aux „règles générales, aux maximes reçues, parceque „tout cela répond à des besoins et à des habitudes, „qu'il est hors de son pouvoir de changer.”

XVII.

Varii variam sententiam tuiti sunt, in dijudicando quatenam imperii forma aptissima sit ad civium felicitatem et prosperitatem promovendam. Alii monarchicam, alii democraticam, alii aristocraticam formam optimam habuerunt. Frustra autem de illa quaestione generaliter proposita disputatur, quum populi indoles et ipsa regionis, in qua degit, natura, rationes, quae hanc illamve formam commendant aut dissuadent, adeo mutare soleant, ut universale de illa re judicium ferri nequeat.

XVIII.

Recte dicitur in: *Etat des négociations actuelles entre les Puissances alliées et la France*, 26-28 Juillet 1815: „Un système de gouvernement quelconque ne peut offrir à lui seul la garantie absolue de sa stabilité.” Vid. von Gagern, *der zweite Pariser Frieden*, Tom. II. pag. 29.

XIX.

Rerum conversiones, quae hisce temporibus magnarum civitatum faciem mutaverunt, nec casui fortuito, nec populi arbitrio unice sunt adscribendae.

XX.

Conjunctio populorum ad pacem perpetuam cogitari nequit.

XXI.

Filium suum, ducem de Montpensier, Ludovicæ-Ferdinandæ, Hispaniæ Infanti, conjugem

dans, nil fecit Ludovicus-Philippus, Franco-Gallorum rex, quod juri gentium esset contrarium.

XXII.

Foedera, diebus 11 m. Oct. 1698 et 13 m. Martii 1700 inter Franciam, Britanniam et Foederatum Belgium, de successione in Caroli II, Hispaniae regis, imperia ordinanda, inita, injusta non sunt dicenda.

XXIII.

Isabella II pleno jure Hispaniae regina est proclamata.

XX

XXIV.

Errare videntur illi, qui internam productionem legibus, quae prohibitoriae vulgo dicuntur, a Summo Imperante promovendam esse censent. Contra, leges prohibitorias illas, productionum pretia et sic pauperatem augere, statuimus.

XXV.

Usum machinarum civitatibus magis prodesse quam nocere credimus, et horum temporum paupertatis causam non adeo in machinarum introductione sitam, sed potius aliis in rebus quaerendam esse defendimus. Et plane assentimur viro consultissimo Say, *Traité d'Economie Politique*, tom. I pag. 57: „D'ordinaire la multiplication d'un produit en „fait baisser le prix: le bon marché en étend l'usage, „et sa production, quoique devenue plus expéditive, „ne tarde pas à occuper plus de travailleurs qu'auparavant.”

It is a common mistake to suppose that the
only way to increase the production of a
country is to increase the number of
workers. It is true that the number of
workers is an important factor in the
production of goods, but it is not the only
factor. The quality of the workers, the
amount of capital, and the efficiency of
the management are also important factors.
The production of goods is a complex
process, and it is not enough to have
a large number of workers. It is also
necessary to have the right kind of
capital and the right kind of management.
The production of goods is a process
that involves many different factors, and
it is not enough to have a large number
of workers. It is also necessary to have
the right kind of capital and the right
kind of management.

